UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Manvale, sev Institvtio Sacerdotvm, Ex Divinis Litteris Et Vetervm Patrvm Disciplina

Torres, Alfonso de

Ingolstadii, 1604

Cap. I. De morte boni Sacerdotis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-48973

Visual Library

# CAPVT I.

# DE MORTE BONI SACERDOTIS.

## SVMMARIVM.

PRETIOSA *eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*.1.

*Bonam Sacerdotum vitam bona mors ſequitur, & benedictio populi*.2.4.7.10.

*Sacerdotes iuſti moriuntur propter malitiam populi, ad eius punitionem*.3.4.5.8.

*Quotidie moritur iuſtus*.6.9.

*Et ideo non ſubito moritur Sacerdos, qui ſe ſemper moriturum cogitauerit*.11.

*Eſt enim illi mors quies, pax, ſomnus, portus: & propterea appetenda*.11.

*Varia mors bonorum Sacerdotum*.13.

*Et eſt lugenda*.14.

*Nemo ſepeliebatur in Eccleſia, niſi iuſti Sacerdotes*. 15.16.

*Eorum tamen cadauera palla non debent obuolui*.17.

*Induti tamen Sacerdotalibus veſtimentis ſepeliri debent*.18.

*Lumina deferenda in funeribus defunctorum*.19.

*Et iuſtorum cadauera maximi facienda, & cura de ſepultura habenda, exemplo Sanctorum Patrum*. 20.

PRE-

PRETIOSA in conſpectu Domini mors Sancto- 1
rum eius. *Pſa.* 115.

Timenti Dominum bene erit in extremis, & 2
in diebus conſummationis illius benedicetur.
*Eccl.* 1.

Ecce dominator Dominus exercituum aufert 3
à Ieruſalem, & à Iuda validum & fortem, omne ro-
bur panis, & omne robur aquæ: fortem, & virum
bellatorem, Iudicem, & Prophetam, & Ariolum,
& Senem. *Iſa.* 3.

Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde 4
ſuo: & viri miſericordiæ colliguntur, quia non eſt
qui intelligat: à facie enim malitiæ collectus eſt
iuſtus. Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui
ambulauit in directione ſua. *Iſa.* 57.

Abſtulit magnificos meos Dominus de medio 5
mei: vocauit aduerſum me tempus, vt contereret
electos meos. *Thren.* 1.

Quotidie morior. 1. *Cor.* 15. 6

Qui bene miniſtrauerint, gradum bonum ſibi 7
acquirent. 1. *Tim.* 3.

## Caſtigatio populi, mors Sacerdotis.

INTEREA, quæ comminatur Dominus, eſt ab- 8
latio Preſbyteri, ſiue Senioris: quod ex eius præ-
ſentia non mediocre emolumentum in alios reſi-
liat. *S. Baſilius ſuper c. 3. Iſaiæ.*

## Iuſtus Sacerdos quotidie moritur.

SANCTI Sacerdotes, qui breuitatem vitæ inde- 9

 ſinen-

ſinenter aſpiciunt, quaſi quotidie morientes viuunt; & tanto ſe ſollicitius manſuris præparant, quanto nulla eſſe tranſitoria ex fine ſemper penſant. *S. Gregor. Moral. l. 3. c. 5.*

## Sacerdoti iuſto oritur lux in morte.

10 Ad veſperum oritur fulgor Sacerdoti iuſto, quia in occaſu ſuam cognoſcit claritatem: ideo *Eccl. 1.* dicitur: Timenti Dominum bene erit in extremis. *Idem S. Gregor. Moral. l. 10. c. 21.*

## Non moritur ſubito Sacerdos, qui ſe ſemper moriturum cogitauerit.

11 Non nocet bonis Sacerdotibus, ſi occidantur, vel ſubita morte rapiantur. Non enim ſubito moriuntur, qui ſemper ſe cogitauerunt morituros. Siue ergo ferro immolentur, ſiue à beſtiis lacerentur, aut flammis, vel vndis immergantur, aut ſuſpendantur, vel crura frangantur, vel quolibet alio infortunio moriantur, Semper eſt pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius, vt dicitur. Quacumq; hora iuſtus moriatur, iuſtitia eius *Pſa. 115.* non auferetur ab eo: & ita mors non obeſt; immo multum prodeſt eis: quia, ſiquid peccati contraxerunt per humanam fragilitatem, relaxatur per mortis acerbitatem. *S. Anſelmus in Meditationibus.*

## Mors eſt iuſtis Sacerdotibus quies, pax, portus, ſomnus, ideo appetenda.

12 Mors Sacerdotibus iuſtis quietis eſt portus. *S. Ambr.*

*Ambroſ. de bono mortis, c.* 8. Somnus iuſtis mors eſt, immo magis migratio ad vitam meliorem. *S. Baſilius de Barlaam Martyre.* Probat Simeon, atq; conteſtatur, tunc eſſe Sacerdotibus Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando, de iſtis mundi turbinibus extracti, ſedis, & ſecuritatis æternæ portum petimus; quando, expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus. Illa enim noſtra pax, illa fida tranquillitas, illa ſtabilis, & firma, & perpetua ſecuritas, &c. Magnus nos in paradiſo carorum numerus expectat parentum, fratrum; frequens nos, & copioſa turba deſiderat, iam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Qualis illic cæleſtium regnorum voluptas, ſine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? Quam ſumma, & perpetua felicitas? &c. *S. Cyprianus de mortalitate.* *Luc. 2.*

## Varia mors bonorum Sacerdotum.

13 In exitu vitæ animæ electorum nimio terrentur metu, incerti, vtrum ad pręmium, an ad ſupplicium tranſeant. Quidam autem electi in fine ſuo purgantur à leuibus quibusdam peccatis: quidam vero in ipſo exitu ſuo hilareſcũt ex æternorũ contemplatione bonorũ. Quamuis enim quis in hac vita ſit iuſtus, tamen, dum ex corpore iſto egreditur, pertimeſcit, ne dignus ſupplicio ſit, &c. Finem iuſtorum optimum vocatio tranquilla commendat, vt ex eo intelligantur Sanctorum habere conſortium Angelorum, ex quo ab hoc corpore ſine

vexatione dura tolluntur. *S. Iſidorus de ſummo bono l.3.c.66.S.Gregor Moral.l.24.c.17.18.*

## Mors Sanctorum lugenda.

14 PATRES veteris, & noui Teſtamenti mortes Sanctorum virorum legimus multis in locis cum fletu deploraſſe; in nullo autem loco, de illis, qui
*Gen.50* à ſæculo diſceſſerant, exultaſſe. Nam & Iacob Patriarcham tota fleuit Ægyptus ſeptuaginta die-
*Ibidem* bus; & Ioſeph, & fratres eius, cum patrem deferrent in terram Canaam, ad ſepeliendum, celebrantes exequias, planctu magno, atq; vehementi impleuerunt ſeptem dies. Tantus autem fuit planctus, vt luctus inde nomen acceperit. Et de
*Act. 8.* Beato Stephano legimus, quod ſepelierunt eum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum, &c. Si quis autem ibi cantare deſiderat, Kyrie eleyſon cantet; ſin aliter, omnino taceat. Si autem tacere non vult in craſtino, à Preſbytero taliter coërceatur, vt ceteri timeant. *Concil. Arelat.3. c.5. S. Chryſoſt. hom. 70. tom.5. Liceat alibi mortuos non lugendos eſſe præcipi videatur, in Conc. Tolet.3.c. 22. Vide S. Cyprianum ſermone de mortalitate. S. Gregorium Nyſſenum oratione de dormientibus. Quod optime interpretatur S.Hieronymus ep.25. ad Paulam, de obitu Bleſillæ, & S. Cyrillus Alex.l.7. cap. 20.ſuper Ioan.*

## Nemo ſepeliebatur in Eccleſia, niſi iuſti Sacerdotes.

15 NEMO in Eccleſia ſepeliatur, niſi forte talis ſit perſo-

perſona Sacerdotis, qui per vitæ meritum talem, viuendo, ſuo corpori defuncto locum acquiſiuit. *Concil. Tribur. c. 17.*

## De eodem.

NVLLVS mortuus infra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut Abbates, aut digni Preſbyteri. *Concil. Mogunt. c. 52.* 16

## Sacerdotis cadauer palla non obuoluatur.

DE opertorio Dominici Corporis, ſeu palla altaris, numquam Sacerdotis corpus, dum ad tumulum vehitur, obtegatur: quia, ſacro velamine vſibus ſuis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur. *Concil. Aruern. cap. 3. Matiſcon. 2. cap. 12.* 17

## Sacerdotes ſepeliantur Sacerdotalibus veſtimentis induti.

Ex eo, quod Nadab, & Abiu fuerunt ſepulti cum veſtibus Sacerdotalibus, inoleuit conſuetudo, quod Sacerdotes nouæ legis cum veſtibus Sacerdotalibus ſepeliantur. *Nyc. Lyra ſup. cap. 10. Leuitici.* 18

## Lumina deferri ſolita in funeribus ab ipſa primitiua Eccleſia.

*Vide ſup. p. 1. c. 4. §. 2. de cereis, n. 52. Lumina.* 19

## Iuſtorum cadauera maximi ſunt habenda; & curandum de ſepultura, exemplo Sanctorum.

20 NON ſunt contemnenda, & abijcienda corpora defunctorum, maximeque iuſtorum, atque fidelium, quibus, tamquam organis, & vaſis, ad omnia bona opera ſanctus eſt vſus Spiritus. Si enim paterna veſtis, & anulus, & ſi quid huiuſmodi tanto carius eſt poſteris, quanto erga parentes maior extitit affectus: nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multo familiarius, atq; coniunctius, quam quælibet indumenta, geſtamus, &c. Vnde & antiquorum iuſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, exequiæ celebratæ, & ſepultura prouiſa; ipſiq;, dum viuerent, de ſepeliendis, vel etiam transferendis, ſuis corporibus filiis mandauerunt. Et Tobias ſepeliendo mortuos, &c. *S. Auguſt. de Ciu. Dei l. 1. c. 13. & lib. de cura pro mortuis agenda.*

Tob. 2. 12.

CAP.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN